18.

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

JUSSU REGIS OPTIMI ET EX MANDATO SUMMI GALLICÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI INSTITUTA ANNO 1823.

# An herpetis curatio specifica?

# THESIS

*Quam, Deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ Parisiensi, præsentibus competitionis judicibus, publicis competitorum disputationibus subjiciet et dilucidare conabitur, mercurii die 25 februarii, anno 1824,*

ANTONIUS-LAURENTIUS-JESSE BAYLE,

Medicinæ Doctor è Facultate Parisinâ, multis societatibus Medicis annumerandus, etc.

PARISIIS,

EX TYPOGRAPHIA GUEFFIER,

Viâ Guenegaud, n° 31.

M. DCCC. XXIV.

| | | |
|---|---|---|
| Præses. . . . . | D. | ESQUIROL. |
| Judices. . . . . | DD. | LANDRÉ-BEAUVAIS.<br>RECAMIER.<br>BERTIN.<br>FIZEAU.<br>CAYOL.<br>ROYER-COLLARD.<br>JADIOUX.<br>ALIN. |
| Vices-Gerentes. . . . | DD. | KERGARADEC.<br>PARENT DUCHATELET. |

---

## COMPETITORES.

DD. Delondre. — Rochoux. — Gerardin. — De Champesme. — Cruveilhier. — Piorry. — Legras. — Bailly. — Ramon. — Miquel. — Destouet. — Martin Solon. — Dupau. — Dugès. — Andral. — Gibert. — Bayle. — Tuffier. — Velpeau. — Meslier. — Leger (Victor). — Leger (Théodore). — Bouillaud.

DOMINO CLARION,

MEDICINÆ FACULTATIS PARISINÆ, NEC-NON SCHOLÆ PHARMACEUTICÆ PROFESSORI, REGIS PHARMACOPÆO, IN REGIA MEDICINÆ ACADEMIA ANNUMERANDO;

Opusculum hocce tenuissimum, grati animi et amicitiæ pignus.

V. D. O.

AUCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b2241406x

# An herpetis curatio specifica?

## I.

Cùm propositi argumenti solutio, è vocabuli quodammodò definitione pendeat; hujus communis tùm apud veteres. tùm apud recentiores significatio, dissertationem hanc nostram antecedere debet. Verbum *Specificum* grammaticè visum, à voce *species* oriundum, idem sonans ac *idoneum specialiter ad aliquid*, remedium ad quamdam morbi speciem propriè accomodatum indicat. Veteres parùm de medicamentorum virtutibus periti, ferè omnes morbos specificis debellabant, ut Plinii, Dioscoridis, Theophrastis, de materiâ medicâ, scriptis patet; idcircò, recentiorum laboribus, specificorum numerus summoperè imminutus fuit.

## II.

Remedia quosdam morbos tutò et semper sanare valentia, sensu absoluto à compluribus medicis accepto, specifica definiuntur. His verò tàm desiderandis medelis hucùsque therapeutice caret. Datâ autem vocabulo à plerisque artis medicæ auctoribus latiori acceptione, duas in species rectè dividuntur specifica ex ipsorum præcipuâ in organa vel in morbos actione. Specifica organorum dicimus remedia quæ peculiarem ad quasdam fa-

bricæ humanæ partes præ cæteras irritationem pruducere valent; sic v. g., nullo modo affectis aliis organis, hydrargirum in salivarias glandulas, cantharidæ in vesicam, scilla et potassæ nitras in renes, alcoholica in cerebrum, digitalis purpurea in cor, etc., vi propriâ prædita recensentur.

Specifica morborum nuncupamus remedia quæ virtute propriâ et speciali, ad quosdam morbos in plerisque casibus aut præcavendos aut sanandos, præter cæteros, fruuntur. Ex quibus medicamentis, nimiùm heù! paucis, vaccino viru ad organicam variolis habilitatem destruendam, mercurio ad luem venerea m tollendam, cinchonâ ad intermittentes febres profligandas, sulphure ad acaros scabiei suffocandos, tantùm ars medica potitur.

III.

His præmissis, *non esse specificam herpetis curationem* asseveramus. Quam propositionem, collato hoc affectu cum morbis specificâ medelâ sanandis, attentèque perpensis ipsius causis, naturâ et medicamentis in ejusdem therapeutice sumptis, tueri ac defendere conabimur.

IV.

Specifici existentia præcipuè concipitur ut medicamenti idonei ad sanandos morbos unicâ et propriâ productos causâ, foris ortâ, vel in organorum latibulis natâ et formatâ, quæ directè speciali pharmaco oppugnatur et extinguitur. Nam facultatem complures morbificas causas abolendi, uni substantiæ tribuere, haud satis et observationi et rationi consentaneum videtur; undè, ad inferendum adducimus, affectus duntaxat specificos medicamentis specificis tolli et sanari posse. Tali nomine designamus morbos qui pendent, modò è gaz proprio, naturâ

ignoto sed effectibus patente, tenuissimo, subtilissimo, in aeris regionibus genito vel fuso, posteàque ad corpus humanum translato; modò è fluido minus volatili, licèt non obvium sit sensibus, liquido, ab homine vel animalibus ad hominem sine corpore mediante directè lato; modò è parasiticis animalibus intrà organa natis, ingeneratis, auctis, vel ad corporis superficiem appositis; modò tandem ex organicâ quâdam et speciali dispositione quæ hactenùs etiam acutissimos investigantium oculos declinavit, effectibusque tantùm proditur.

Sic jure ac meritò, nostro quidem sensu, in quatuor sectiones morbi specifici secernuntur. Prior divisio, miasmaticos affectus amplectitur quorum alii contagiosi, ut typhus, pestis, variolæ, morbilli, forsan scarlatina, etc., et alii haud contagio suscepti, ut febres intermittentes ex paludorum aere natæ. Posteriorem tenent locum, maligna pustula, lues venerea, hydrophobia, etc., quæ contactu duntaxat proximo transmitti valent. In tertiâ sectione, parasitica animantia, pediculos, acaros scabiei et vermes includimus. Tertiam tandem occupant morbi, ab organicâ et propriâ, ut diximus, sive humorum sive solidorum dispositione pendentes, ut in cancro, tuberculis, etc., observatur.

Plerique hujus classis affectus, phænomenis stypantur quæ magnam cum cæteris morbis affinitatem habent. Sic, typhus contagiosus, gravem præfert symptomatum apparatum quæ atactas et adynamicas febres ut plurimùm comitantur; variolæ, morbilli, sub nonnullis respectibus erysipelati et phlegmoni affines haud levi cum cæteris inflammationibus analogiâ notantur, ut professoris Pinel observatis patet, qui variolas et morbillos in phlegmasiarum classi meritò disposuit. A naturâ verò causarum præcipua horum affectuum et ad curationem haud inutilis distinctio pendet; undè sequitur, erysipelas, multos herpetes, phlegmonem, non autem variolas, morbillos, etc., iisdem causis produci posse. Eadem de venereâ lue

dicenda : organorum structuram morbus afficere, pervertere, inflammare potest, atque sæpissimè à phlegmasiis et organicis læsionibus, causâ tantùm propriâ discrepare videtur. Neminem fugit multis, variis, inter se dissimilibus phænomenis, affectus verminosos stypari. Quod ad ultimam morborum specificorum sectionem attinet, nobis fatendum densissimis hucùsque involvi tenebris, valdè que abstrusam horum morborum causam non in inflammatione, ut nonnulli contendunt medici, sed in organicâ quâdam solidorum et humorum, ut suprà diximus, dispositione positam esse.

Quæ cùm ita sint, experientiâ variolas, luem veneream, febres intermittentes, scabiem, specificos esse affectus demonstrante, morbos præcipuè qui speciali et propriâ fruuntur naturâ, specificis remediis debellari et tolli posse putamus.

## V.

Minorem nunc argumenti propositionem attingentibus nobis ex herpetum causis et phænomenis investigandum est, an hic morbus specificâ naturâ præditus sit.

Interdùm, agente solâ prædispositione hæreditariâ, ferè spontè nascuntur herpetes. Sæpiùs senes, ac homines lymphatico temperamento præditos et mulieres in ætate criticâ afficiunt. Æstate perfervidâ vigent, autumnusque eos favet, silent per glacialia hiemis spicula (Lorry). In meridianis regionibus endemici sunt; haud rarò à cutis irritatione pendent productâ linteis et vestibus sordidis, nec non tunicis et cingulis nimiùm strictis. Alcoholicorum abusus, cibi acriores, lauti, crudive, depravatæ carnes ipsum gignere videntur, ut his tempestatum publicarum miserrimis temporibus patuit, cùm in parisinum populum corruptis alimentis nutritum vehementer ingruêre. Suppressis perspiratione, menstruis et hemorrhoïdibus frequenter efflorescunt.

Sæpè inter longos prædurosque labores, atque ardua itinera erumpunt. Vulgò etiam in herpetum frequentissimis causis, tristia animi pathemata quæ, teste Sanctorio, perspirationem tardant, ex observatis cl. prof. Alibert, recenseri debent. Servus quidam, inter crudelissima turbamenta nostra, cùm herum è domo tolli et ad supplicium duci cerneret, ingenti fractus dolore, subito furfuraceo herpete coopertus fuit. Nonnumquam affectus herpetici, variorum morborum quasi critica phænomena peritissimis medicis videntur. Interdùm et haud sanè rarò variolas, scabiem, et alios cutis affectus excipiunt; aliquando homines arthritide et rheumatismo laborantes invadunt. Sæpissimè tandem scorbuto, strumis et lue venereâ efficiuntur herpetes, ex quibus plures, horum suprà dictorum affectuum symptomatica phænomena censentur.

Quæ summatìm enarratæ caussæ quarum multæ cæteris morbis communes sunt, non affectum quemdam specificum præstare videntur; sed nonne ità in fabricâ nostrâ agere valent ut fluidum peculiare ingenerent, idoneum ad herpetes producendos si cuti sanæ applicetur? Id est, herpetes sunt-ne virulenti, sunt-ne contagiosi? Quod nunc perpendendum.

## VI.

Veteres et multi neoterici, herpetes pendere arbitrantur, à quodam viru de cujus fonte et naturâ variæ opiniones: Hippocrates pituita crassâ et viscidâ, Galenus acri et atrâbile, Sanctorius, Baillou, Pison et Gorter sero acerbo virum herpeticum formatum dicebant. Lorry venenum esse à parentibus acceptum et in lymphâ plasticâ omninò consistens putat. Idem fluidum Poupart tribuit alterationi lymphæ quæ corrosivam proprietatem contrahit. Nonnulli auctores degeneratione virus venerei ortum conjectant. D. Prof Alibert, his rejectis theoriis tanquam meris

vanisque animi contemplationibus, herpetes tribuit particularum salinaciarum, oleosarum, glutinosarum, etc. retentioni, quæ sub cuticulâ congregatæ, irritatâ cute, perspirationem plus minusve tardare et supprimere possunt. Cùm tamen in variis operum locis, medicus ille peritissimus de viru herpetico loquatur, in suprà dictâ opinione titubantem esse cernimus, undè inferre possumus abstrusissimam esse materiam de quâ fit quæstio.

## VII.

Plerique scriptores medici contagio herpetes transmitti posse arbitrantur. « Contagium, ait Lorry, negare, medicis expertis impossibile est. Vidi in unico concubitu, contractos herpetes nec facilè sanabiles, idque non unâ vice. »

Poupart existimat nonnumquam gigni posse virus herpeticum peculiare quod sicuti alia ejusdem generis fluida, contactu propagari valet. Doctor Baduel ad eamdem sententiam non propriâ observatione sed auctorum scriptis adductus est. Professor autem Alibert plurimis fretus experimentis, contagium negat. Humore qui affatìm herpetibus squammosis exedentibusve manat, sæpenumerò digitum madefecit; ipsum que fluidum, in inguina et axillas, ubi magis viget absorptio, inferre ausus est; incolumis tamen cutis evasit, nulloque exhanthemate contaminata fuit. Similia experimenta à doctoribus Lenoble, Bachelet, Fayet et Dudon, in variis casibus et sepissimè iteratis, eumdem sortita sunt effectum. Ultimus horum medicorum, duos observavit homines quorum prior, abhinc viginti annis, herpetibus ad scrotum afficitur. Ipsius filii eodem morbo laborant, incolumi tamen planèque sanâ uxore. Posterior, generali et madido herpete omnimodè inquinatus, indomitâ cupidine pulsus, gnaviter rei venereæ jamdudùm indulget, absque minimo apud uxorem morbi signo. Hisce observatis, aliisque multis haud hìc

recensendis, igitur herpetes numquam esse contagiosos probabilissimum concludere possumus.

## VIII.

Quid ergò de herpetum naturâ dicendum ? Cùm alii rem summoperè abstrusam esse confitentes, nullam expromere sententiam ausi sint, aliique meras tantùm atque plus minusve verisimiles hypotheses finxerint, novam opinionem emittendi temeritatem non habebimus. Si phlegmasias duntaxat esse chronicas corpus Malpighianum afficientes, è quâdam proprietatum vitalium alteratione pendentes, cum Celeb. Prof. Pinel aliisque multis medicis contendamus, aliquid difficultatis haud facilè solvendum, in nonnullis casibus reperiemus. Quæ cùm ita sint, admissâ haud tamen strictè suprà dictâ opinione, tùm observationi, tùm rationi forsan consentaneum esset herpetes in locales et generales distinguere.

Herpes tantùm localis videtur, cùm æstuante aeris temperie; fervidis tempestatibus et regionibus, sordibus et acribus materiis cuti applicatis; duris et vehementibus laboribus, etc., producitur; cùm haud gravissima sunt morbi phænomena, atque præsertim cùm simplicibus remediis, loci scilicet, aeris et vitæ generis mutatione, applicatis hirudinibus, balneis tepidis, etc., sanatur.

Subsequentibus observatis herpes generalis admitti potest. Aliquando pueri à parentibus cùm vitâ herpetem accipiunt; cutimque natorum recentium fædis maculis deturpatam fuisse dicitur. Vigente verò ætate, hæreditarius morbus, nullis, vel saltem minimis agentibus causis, ut plurimùm supervenit. Suus est, inquit Lorry, hæreditariis herpetibus fomes, undè illi fermenti more liquefacti, dato tempore, erumpant et multiplicentur, inertes anteà.

Metastases herpetis et frequentes et haud rarò infaustæ sæpissimè propriam habent indolem, cæteris dissimilem. Sic ad organa omnia supervenire valentes, cùm membranas mucosas ut illam, v. g., quæ vaginam aut uterum vestit, afficiunt, fluxu materiæ acris, liquidæ, copiosæ, ab humore herpetum madidorum haud multùm discrepantis, aliquando stypari possunt. Nonnunquam multa et notanda phænomena producunt, ut in hâc Celeb. Frank observatione. Vir quidam hypochondriacus, à vertiginibus, aliisque incommodis quibus jamdiù laborabat, herpetis squammosi eruptione ad plantam liberatus fuerat. Hic cùm valetudinem quæreret, topicis acribus et alcoholicis usus, exanthema suppressit. Mox verò supervenit hydrocele, quæ secto testiculo sanata est. Omninò obducti vulneris superficies, multas liquidi proprii uncias, per duas hebdomades, quotidiè cum maximo ægrotantis levamento suppeditavit. Sed æger, oblitis medicorum monitis, emunctorium occludit. Mox supervenit hepatitis, dein, post hujus morbi sanationem, furiosa mentis alienatio quæ post multos menses rescisso vulnere cessavit. Tunc, noviseri fluxus, brevì hujus dessicatio fluidi, indè, herpes miliaris et exedens doloribus acerrimis stypatus. Quâ denuò retropulsâ per externa remedia eruptione, acerrimam otalgiam passus est ægrotans. Hanc fugavit, sanitatemque restituit herpes ad crura regressus. Tandem iterùm repercusso exanthemate, pungens in pectore dolor, sanguinea sputa, posteà tabis pulmonalis omnia symptomata supervenêre. — Ejusdem generis observata in auctorum scriptis reperimus.

Sæpè contingit, ait D. Prof. Alibert, extrinsecùs evanescere omnia herpetis signa, intrinsecùs sæviente morbo. Quidam carri ductor squammoso et madido afficiebatur herpete qui principiò levis pedetentìm universam cutim invaserat. Diarrheâ, et febre hecticâ jam æger laborabat, anxia et difficilis respiratio erat,

mors imminebat cùm subitò immutatis omnibus symptomatibus, desiccatoque herpete, ægrotans mæstissimâ mentis alienatione correptus fuit.

Multi herpetes contrà omnia remedia pervicacissimi sunt; plures omne cutaneum systema deturpant et inquinant; alii humorem affluentem, acrem, serosum, specialem, stillant, etc.

Cùm ad tertiam et ultimam periodum morbus pervenit, sub cachexiæ herpeticæ imperio totus *organismus* versatur, his stypatæ phænomenis, nimirùm digestionis depravatione, febre hecticâ, marasmo, agrypniâ, lienis et hepatis tumore, pedum œdemate nonnunquam leucophlegmatiâ, etc. Hoc morbi gradu, dixit prof. Alibert, omnia corporis viscera et glandulæ infectione laborant.

An-non herpetes de quibus nunc sermo est, pro morbo generali habendi sunt? An-non ab humorum quâdam ignotâ dispositione vel etiam generali inquinamento pendent? Ad hanc opinionem multis causis impellimur.

Quod ad herpetem attinet quem localem nuncupavimus, incerti valdè sumus an eâdem fluidorumdepravatione effic iatur, nec-ne. Cel. Frank materiam herpetum naturâ ignotam, in corpore Malpighiano formatam absque ullo humorum vitio, primùm organi affecti terminos non prætercurrere, dein si quantitas ejus augeatur, in circulatorium torrentem vehi posse, cum sanguine misceri et perpetuam herpetici affectûs causam fieri arbitratur. Ex his de herpetum naturâ satis fusè dictis, inferendum est, morbum in tribus prioribus specificorum affectuum sectionibus includi non posse, in quartâ tamen, propè cancrum, et tubercula quæ hucùsque insanabilia sunt, collocari; præsertim cùm generalibus phænomenis stypatur. Nunc ad herpetis curationem transeamus.

## IX.

Celeberrimus Lorry jurè meritòque inter difficilia artis opera herpetum curationem recenseri putat. Incognitum enim, inquit, fermentum nulla sibi vindicat specifica. Indagatio specificorum in hunc morbum, tot causis productum dissimilibus, sæpèque invicem oppositis absurda claro Poupart videtur. Affectus specìficis medelis superati, paucis medicamentis oppugnantur. In herpetem contrà ferè omnes therapeutices opes commotæ sunt; neminemque fugit, remediorum copiâ in quemdam morbum sumptâ medicinam impotentem denuntiari. Herpetes nonnunquam critici sunt, et haud sine gravi valetudinis labe supprimi possunt; auctoribusque tùm veteribus, tùm recentioribus, haud rarò pertinaces atque insanabiles videntur. Quæ cùm negari nequeant, sæpissimè efficaci medelâ artem carere jam præsentire licet; idque modò, recensitis atque accuratè perpensis pharmacis in herpetes, tùm intrinsecùs, tùm extrinsecùs sumptis patebit.

## X.

Nonnulli herpetes simplicìssimâ medendi methodo delentur. Hippocrates, Cornelius Celsus, Dioscorides, eximias dotes in morbum sanandum lacti tribuunt; lac quoque commendat Riverius, præscribitque Hugenius nimiâ fiduciâ captus. « Pro certo, ait Lorry, atque demonstrato, tùm adjuvante experientiâ, tùm evincente ratione habebimus, lactis usum in copiâ et impetu herpetum sævientium ferè pro inutili habendum esse; in levibus illis, nec multùm inveteratis aut tantùm per accidens sævientibus, posse ad omnimodam sanationem sufficere, sed summum præstare remedium in ultimis herpetum temporibus, cùm jam

profligato fomite supersunt hostiles reliquiæ superandæ, præcipuèque ubi corpus potentibus exhaustum remediis, jam refici postulat et in salubrem statum revocari. » Idem celeberrimus medicus testatur illustrissimam matronam eximiâ sanitate fruentem, sanatam fuisse herpete phagædenico genam utramque fædè ulcerantem et acria stillantem, dùm mutatur ipsius victus opiparus et carne turgentia juscula repudiantur, solisque oleribus vivit simplicissimè et aquâ salitâ, paucoque butyro conditis, nec ullus unquam à decem annis fuit mali regressus. Roussel exemplum hominis præbet qui, per quatuor annos exhaustis omnibus remediis, vini usu, ad illud tempus nondùm degustati, herpete sanatus est. Sed plerùmque impotentes regiminis curæ.

Aretæus, Avicenas, Rhasès et Quercetanus viperam ut certum anti-herpeticum remedium prædicabant. Narrat Galenus, elephantiasicum leprosum injectâ in potum ut necatus à cruciatibus et miseriis levaretur viperâ, omninò sanatum fuisse. Ex Poterio manducatæ quinquaginta et centum viperæ inveteratum herpetem sustulêre. Bonnet de la Brageresse extractum anemonis pratensis, quod ipsi plerùmque successisse dixit, ingentibus tollit præconiis. Illud verò oblivioni datur remedium. Secundus ulmi pyramidalis cortex, à Baricelli, Douynot, Lewis indicatus, ut specificum herpetis verum, maximis laudibus à medico Banau denunciatus est; fugax autem fama ejus.

Barrere per decem et quinque annos iteratis experimentis, multos herpetibus laborantes, solani dulcamaræ usu diù continuato sanavit. Eosdem Poupart obtinuit effectus. Sed professori Alibert parùm præsentaneum, in nonnullis verò casibus utile, remedium videtur.

Idem in arte medicâ magister, scabiosâ arvensi, arctio lappâ, rumice patientiâ, fumariâ officinali, menianthe trifoliatâ, saponariâ officinali, violâ tricolori, non sine aliquo fructu se usum esse confitetur.

Herpetis verò curatio sæpissimè ex ipsius causis differre debet. Criticum sanandum non esse jam suprà diximus, symptomaticumque medicamentis ad morbum essentialem accomodatis superari. Idcircò scorbutici herpetes solo cruciferum plantarum usu haud rarò sanantur. Venerei, mercurio duntaxat, variisque ipsius preparationibus sæpissimè tolluntur. Sed hujus generis medicamenta, professore Alibert testante, ad omnes herpetum species accommodari possunt. Cl. Dehorne plures hereditarios et generales herpetes cunctis medelis hucùsque refractorios, mercurio sublimato et corrosivo delevisse narrat; confitendum tamen, cujuslibet indolis herpetes, hisce omnibus metallicis præparationibus sæpissimè obstare.

Weinhold ut eximium anti-herpeticum remedium plombaginem (la plombagine) proposuit; quod quidem inter nostrates nondùm experimentis constat.

Aliquibus in sanandos herpetes proprietatibus, ex prof. Alibert observatis, remedia antimonialia fruuntur; ipsis tamen multò nimiùm Lorry et Poterius credidêre, cùm sæpissimè omninò inutilia sint.

Tonica et purgantia medicamenta in quibusdam casibus præsentanea, in aliis necessaria, variis accommodantur indicationibus. Auxiliaria tamen ferè semper, variis conjuncta remediis, ad tollendos herpetes rarissimè soli conferunt. Diaphoretica et sudorifica, guaiacum scilicet, laurum sassafras, smilacem chinam, salsamparillam, etc., plerique veteres auctores suadent; minimâ autem, ex recentioribus observatis, in hunc morbum proprietate prædita sunt. Mead ut summum in lepram et herpetes remedium, cantharides commendat.

Tandem ad sulphur, à remotissimâ antiquitate notum et in cutaneos morbos adhibitum devenimus. Quod remedium vel disjunctìm sumptum, vel in aquis mineralibus naturâ arteve formatis solutum, aliis quibuscumque longè anteponenduum medica-

mentis multos, delere valet herpetes. Sæpè tamen nihil sanationi prodest; et arthriticis, epilepticis, maniacis, hystericis maximè novicum esse potest. Sed exterior herpetis curatio nunc perpendatur.

## XI.

Topica remedia, periculosa à multis medicis habita, internis sanè utiliora sunt, cum morbi indoli accuratè accommodantur. Styptica et adstringentia, adeò ab empiricis prædicata, sæpè noxia sunt, productis ad partes vitæ essentiales metastasibus. Lorry, saturnina omnia vel lenissima, facillimè infaustas retropulsiones producere, planèque rejicienda putat, nisi jam malum prorsùs per interiora profligatum fuerit. Ut curatio utiliter instituatur, cutis irritatio attentè æstimanda est. Si inflammatione, rubore, doloreque herpes afficiatur, balneis tepidis, emollientibus plerùmque levari, imò etiam sanari potest, ut plurimis et maximi momenti Prof. Alibert observationibus constat. Sed ex utilioribus herpetum medelis, specialiter recenseri, præcipuumque locum obtinere debent balnea sulphurosa naturâ vel arte composita quibus frequenter, tùm in privatâ praxi, tùm in nosocomiis, pertinaces herpetes vincuntur. Suprà dictus medicus unguentum sulphureto potassæ confectum in herpetes inveteratos, oleum animale Dippel, calcis solutionem, aliaque caustica, loco affecto applicata in herpetem exedentem scrophulosum, haud sine fructu adhibet. Cùm magnâ inflammatione cutis laborat, sanguinis missio, hirudinum applicatio, opiacea topica multùm conferre possunt.

Vesicantia ad herpetes haud acerbos admota fuêre, vario autem eventu. Raro utilia, sæpissimè periculosa sunt: fæminam quamdam, Paræus, Hollerio duce, curabat. Hæc, herpetibus fædis faciem vitiatam execrata, omni ope deleri vitium postulabat. Hollerius emplastro vesicante faciem illinit. Mox febris exorta

delirio ferox, nec pericul. expers. At sedatis omnibus, absolutâque suppuratione convaluit ægra.

Balneis ex aquæ meræ vel emollientis vaporibus, multos herpetes, dissipatâ cutis siccitate et ariditate, instauratâque perspiratione, secundùm observata doctoris Rapou, sanatos fuisse patet. Sed inter præcipua herpetum remedia, locus longè primus balneis è vaporibus sulfurosis debetur. Quæ nova sulphuris adhibendi methodus, aliis omnibus potior, à celeberrimo Frank reperta, à doctore Galès ex nostratibus renovata et perfecta, permultos herpetes, tùm hereditarios et pravæ indolis, tùm generales, veteres et obstinacissimos, nullo inficiante medico, sanavit. Omnes tamen fatentur hanc quandoque impotentem, nonnumquam nocivam esse.

## XII.

Quibus satis fusè dictis consequitur, compluria fuisse in herpetum curatione sumpta remedia; ex illis, aliqua nullâ utili dote frui, multa in quibusdam casibus præsentanea, in aliis inutilia, in paucis nociva esse; herpetes qui quâdam medelâ exacerbantur, aliâ dissimili aliquando facilè sanari, et vice versâ; ex ipsorum causis crebrò curationem instituendam esse; atque tandem cæteris medicamentis maximè sulphurosa præstantiora videri.

Quòd si sulphurosa proprietate specificâ prædita contendis; negabo. Nam primùm aliquando, ut dixi, et haud raro, non sanant. Dein, cùm in omnibus cutaneis morbis, eximiis fruantur proprietatibus, demonstratum habemus sulphur non specificum herpetis, sed cutis remedium esse (§. II) Prof. Alibert, doctoresque Galès et Rapou nullam ipsi, in illum morbum, specificam dotem tribuunt. Quod corpus multùm diffusile, in omnes cutanei systematis partes effluere, cutis tonicitatem excitare, perspirationem movere arbitrantur. Atqui hæc functio herpetibus tantâ

labe afficitur, ut quodcumque remedium quod illam restaurat, ad hujus affectûs sanationem agere debet.

Concludendum ergò, nullum esse specificum in herpetes medicamentum.

Objicies tandem, licèt therapeuticen quocumque remedio in herpetem specifico carere tibi constet, esse tamen hujus affectûs specificam curationem, id est, hunc morbum, quâdam medicamentorum serie, haud mutationibus obnoxiâ, ferè perpetuò sanari. Sed hoc argumentum omninò fregimus, cùm, ex variis causarum et symptomatum speciebus herpetum curationem omnimodò differre probavimus; undè prof. Alibert infert generalem et unicam medendi methodum institui non posse.

## XIII.

Si herpetes à morbis peculiaribus qui specificis sanantur remediis, discrepent, si è consuetis inflammationum causis sæpissimè pendeant, si non virus cujusdam contagio suscipiantur; si nullum sit in eos specificum remedium, nullaque generalis et unius modi medendi methodus, propositionem hanc nostram, *herpetis curationem non esse specificam* confirmavimus.

*Ergò herpetis curatio non est specifica.*

---